



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Romanorum origo, & initium Imperij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

hic susceperat communicatum à Iano regnum homo iustissimus, & à quo Regio Saturnia dicta fuit. Fuit quoque perhumaniter ab Arcadibus susceptus Hercules: sed hæc omnia de Hercule Liuius fabulosa credit. Quidquid sit certè Latinum in hac parte regnasse quando ad Latinum littus Troiani appulere Duce Æneâ. At cùm Latinus in acie à Rutulis cæsus esset, Æneas ad conciliandos Aborigines, Troianos & hospites suos vno nomine dixit.

NVM. 3. *Romanorum origo, & initium Imperij.*

ÆNEAS Regno in Italiâ constituto rerum potitus est tribus annis, quãdo appetitus à Rutulis, & Tyrrhenis, à Mezentio Rege Tyrrhenorum cæsus est. Successit Æneæ Ascanius filius, qui reparatis rebus suis pacem cum Mezentio fecit, & tricesimo post Lauinium conditum anno Albam Longam extruxit, quæ Romanæ Reip. fermentum fuit. Ascanio anno regni sui 38. demortuo successit Siluius Ascanij frater: hic post mortem Æneæ ex Lauinâ filiâ Latini natus erat, & inter pastores educatus; Iulio filio Ascanij honor sacerdotij concessus est, populo sic litem dirimente. Siluius successit Æneas filius, Æneæ Alba, Albæ Capetus, Capeto Cypus, Cypii Calpetus, Calpeto Tiberinus à quo Fl. quo haustus est nomen accepit, Tiberino Agrippa, Agrippæ Alladius Deorum contemptor, fulmine afflatus, & aquis haustus, Alladio Auentinus, Auentino Proca, Procæ Amulius & Numitor; sed Amulius fratrem Numitorem circumuenit; filiam eius Silviam (aliis Iliam) Vestalem fecit, quæ à Marte, vel ab Amulio ipso compressa gemellos edidit Romulum & Remum, qui à Faustulo & eius vxore meretrice educati occiso Amulio Numitorem atum in regnum restituerunt, & nouum regnum molientes Romam condiderunt; tam exiguam sub initium, vt eius muros per iocum Remus transiliret, qui iocus ei vitâ stetit. Quæ autem fuerint prima victoriarum rudimenta paucis accipe. A Sabinis exorsa est defendenti se potius quàm inuadenti similis; secuti Fidenates, mox Veientes, omnes à Romulo deuicti. Sub Numa religioso principe summa pax extitit: à Tullo Hostilio bella renouata, à cognatis Albanis sumptum exordium. Hi victi sunt in Curiatii per vnum Horatium, dein parum fideles in bello contra Fidenates, & Veientes, grauiores dependere pœnas, vrbs æquata

solo, mater in filia gremium translata est Albanis omnibus Romam immigrare iussis.

Sub Anco Martio tentati Latinorum tantum aliqui, atque subacti: sed eosdem potentiùs contudit Tarquinius Priscus, à quo & Sabini rebellantes compressi. A Servio Tullo res Romana potiùs ordinata quàm aucta. Tarquinius Superbus Gabios cepit, filij sui fortitudine, & vibicibus vsus, sed eius postea libidine Romam regnumque perdidit.

Exinde per Consules administrata Resp. nequicquam reditum moliente Tarquinio. Magnus ingruit à Porfena Rege Etruriæ metus, sed hunc excutere cœpit Horatij Coclitis virtus in ponte sublicio, pacem sancire constantia Scæuolæ compulit. Mox iterum victi Sabini, mox Aurunci. Sponte se dedit Præneste, vnde belli Latini femina, qui ad Regillum lacum deuicti fœdus percussere, sed quod abruperunt statim. Volsci gens ampla per se, tamen tunc & Hernicis coniuncta caput extulere, sed deuicti tandem vnà cum Æquis. Tum trans Tiberim regressum est: ad Cremeram arcem & fluuium res malè cessit trecentis Fabiis vno die oppressis. Iterum Æqui, Volsci, Hernici repressi sunt, & paulò post Æqui sub iugum missi per T. Q. Cincinnatum ab Aratro ad Dictaturam vocatum. Exinde sæpe renouata bella cum Volscis, Æquis, Veientibus, Faliscis, decennali obsidione capti Veientes. Galli Senones victoriarum penè obduxere fontem, ab iis capta Roma & incensa; sed statim virtute Camilli Po. Ro. fortuna reparata est: nihilominus cum Gallis deinceps pugnandum fuit, donec penè in Italia omnes extinguerentur. Inde in Samnites pro Campanis bellum susceptum quod 70. & ampliùs annos tenuit. Etruscorum quoque 12. populi simul coniurarunt, sed 60. suorum millia perdidere. Tarentinum quoque bellum sollicitos Ro. tenuit ob accersitum ex Epiro Pyrrhū, sed hic subactus Romanorum animos auxit: Punicum bellum primum eos potiùs exercuit quàm fregit; sed secundo bello Punico tam feliciter confecto, quàm infortunatè inchoatum erat, Romani deinceps non tam ad bella, quàm ad victorias profecti sunt, & ex orbe vniuerso quidquid optauerunt, obtinere.

N V M. 4. *Vtrum Romani & Latini Barbari dicti sint.*

HANC quæstionem aliàs leuiter attigimus, sed eo loco confi-

E E e ij